

DE OVIDII VERSIBUS HEXAMETRIS.

Multi quum nomen titulumque libelli huius legerint, — liceat enim mihi in ipso quasi capite disputationis meae Ovidianis verbis uti — mirabuntur, quod rem tam levem, ne dicam pusillam, aggressus sim commentaturus de versibus hexametris poëtae eius latini, qui puerorum iam in manibus est, cuiusque versus omnibus tam sunt noti, paene dixerim decantati, vix ut sit quod de iis disseratur. Nec nego equidem argumentum me tractandum mihi elegisse, quod non sperem fore ut magnum et inopinatum quendam fructum litteris nostris philologicis afferat. At qui reputaverint nihil esse in antiquis scriptoribus tractandis leve putandum, quod ad opera eorum recte cognoscenda et interpretanda conferat, profecto non frustra operam eum impendere putabunt, cui id propositum est facere ut metricae leges poëtae alicuius melius perspiciantur. Quae quidem non indigna mihi videbatur res esse, quam pro viribus meis pertractandam ac si fieri posset illustrandam susciperem. Ovidii autem ut mihi sumerem artem metricam de qua scriberem, permotus sum hac potissimum causa, quod ille versus suos tam perfectos tamque omnibus numeris absolutos exhibuit, ut carmina eius elegantia ac suavitate numeri omnibus omnium fere poëtarum latinorum versibus praeponantur. Neque enim quisquam, puto, tam rudis erit rerum metricarum, quin, quum hexametros Ovidii cum Horatii aut Virgilii, ne dicam Lucretii, comparaverit, statim sentiat Ovidianos suaviore multo ac venustiores esse. Iure igitur nostro quaerere videamur, qua tandem causa suavior ille iucundiorque numerus Ovidianorum versuum efficiatur, quum iisdem in universum legibus omnium poëtarum latinorum hexametros regi nemo non intelligat. Quam causam ut eruamus, nulla alia mihi quidem progrediendum videtur via, quam ut singula perscrutemur in cuiusque

poëtae carminibus ad artem metricam pertinentia, ut intelligamus, quibus rebus eorum versus inter se differant. Hoc igitur commentariolo nobis propositum est ad hexametros Ovidii quae pertinent colligere, ut quibus ille legibus versus suos regi voluerit intelligamus. Erat autem in animo omnium carminum Ovidianorum hexametros versus hac disputatione pertractare. Quod propositum quum breve tempus tenuissem, sensi difficultatibus me non parvis impediri quominus conatum meum perficerem. Paulo enim alia est ratio eorum hexametrorum qui in elegiacis carminibus cum pentametris sunt coniuncti, quam eorum qui nullis adiunctis pentametris se excipiunt. Quare satius duxi, illis in hac quidem disputatione omissis, eos tantum perscrutari, qui sunt in XV metamorphoseon libris. De illis enim satis recte iudicari non poterit nisi addita de pentametris Ovidianis commentatione, quam alienam nunc esse a proposito nostro ducebamus.

Quum vero plura sint, ad quae animum attendere possimus quaerentes de ratione versus hexametri, nonnulla omittenda putavi, quippe quae aut nimis levia nullum fructum praeberent, aut nimis dubia ad certum finem perduci non possent. Quaestionem igitur illam non attigi, quae est de usu spondeorum in hexametris. Quamquam enim in quattuor primis pedibus dactylus qui est versus legitimus numerus cum spondeo, ut qui eum numero morarum prorsus aequet, commutari potest, magna tamen sollertia imprimis Ovidius videtur illos numeros ita variasse, ut neque nimia spondeorum multitudine impediti versus tardius quam par esset procederent nec nimia dactylorum ubertate velocitatem iusto maiorem praeberent. At certas huius rei rationes investigare vix poteris; quidquid enim effecisse tibi videbere, dubium incertumque erit. In universum hoc tantum licet affirmare: satis raro Ovidium in quattuor primis pedibus aut quattuor spondeos aut quattuor dactylos posuisse, sed et spondeis et dactylis in unoquoque versu usum esse. Neque minus dubia quaestio est de compositione et ordine verborum in hexametro. Constat enim aliam verborum compositionem decere prosam orationem, aliam versum; sed difficillimum est certa quadam norma ac regula definire ordinem verborum qui soleat esse in carminibus, quum et metrum et ipsius poëtae arbitrium in ea re plurimum valuerit. Itaque haec omnia et si qua sunt alia eiusmodi missa fecimus et ea tractavimus, quae certa quadam lege reguntur, quam negligere nunquam aut raro et iusta quidem excusatione poëta voluerit. Tria autem nobis potissimum tractanda proposuimus; primum, quae essent rationes caesurarum in hexametris; caesuris enim vel maximam esse vim, qua varietur versus numerus, nemo est qui ignoret. Cum hac autem de caesuris quaestione coniuncta est altera de interpunctione; vix enim dici potest, quantopere

vis caesurae augeatur addita interpunctione, quae quanti sit momenti, vel ex eo conspicitur, quod ne omnibus quidem caesuris interpunctionem licet addere. Quod quum ita sit, non vereor, ne quis diversas res me confudisse putet uno disputationis capite et de caesuris et de interpunctione disserentem. Altera autem quae ad cognoscendam hexametri naturam haud levis est momenti quaestio est de ictu metrico ab accentu grammatico discrepante, quam rem quamquam patet aliquo modo e caesurarum conditione pendere, tamen a caesuris disiunctam tractare malui, quum nimis multa in unum disputationis caput congerere nollem. Tertio denique loco quaerendum erat, qui numerus esset in fine hexametri legitimus. Neminem enim fugere potest in ipso versus fine conformando poëtas subtili quadam ac mirabili arte esse versatos, quum multa quae in priore versus parte minime offenderent, in fine non licerent. Tria igitur haec erunt commentationis capita: primum de caesuris hexametri, alterum de accentu metrico discrepante a grammatico, tertium de compositione verborum numerorumque in fine hexametri. Quibus quartum caput addendum constitui, quo afferrem ea quae ad prosodiae leges ab Ovidio neglectas pertinent.

Cap. I.

DE CAESURIS HEXAMETRI.

Quid sit caesura si quaerimus, diversas explicationes videmus constitutas esse a viris doctis, qui de arte metrica scripserunt. Duae autem definitiones caesurae propter auctoritatem eorum qui amplexi eas et quasi tuiti sunt nobis hoc loco breviter sunt censendae. Godofredus igitur Hermannus et qui eum sunt secuti caesuram dicunt esse finem ordinis metrici, h. e. pedis, coniunctum cum fine ordinis in vocabulis. Alii quorum principem locum tenet Boeckhius caesuram dicunt finem vocabuli in ipso versu, non finito ordine metrico. De quibus definitionibus quid sit statuendum, facile intelligitur. Neutram enim omni ex parte probari posse apparebit, si reputaverimus, qui sit caesurae legitimus locus in usitatissimis versuum generibus. Et in versibus iambicis senariis caesurae locum plerumque esse post thesim tertii pedis (vel post primam thesim secundae dipodiae) nemo nescit; item in hexametris dactylicis caesuram invenimus saepissime post arsim tertii pedis. In his igitur duobus versuum generibus non efficitur caesura fine ordinis metrici coniuncto cum fine vocabuli, ut statuit

Hermannus, ac si hos versus solos spectamus, vera videtur esse Boeckhii explicatio caesurae. Iam videamus versus anapaesticos tetrametros catalecticos; quorum caesuram semper uno eodemque loco invenimus post arsim secundae dipodiae; in versibus denique trochaicis tetrametris catalecticis caesuram esse constat post thesim secundae dipodiae. Efficitur igitur his in versibus caesura fine vocabuli cum fine ordinis metrici coniuncto. Quam difficultatem Boeckhius ita removeri putabat, ut horum versuum incisionem non caesuram sed diaeresim nominaret. Qua via quaestionem quam proposuimus non solvi facile intelligitur; res enim eas, quae suapte vi ac natura plane eadem sunt, nomine dirimere non licet. Quam autem Hermannus statuit caesurae definitionem, non ad omnia caesurarum genera accommodatam esse patet ex iis quae supra proposuimus exemplis. Quamquam videtur vir rerum metricarum peritissimus aliud quid explicatione sua voluisse significari; dicit enim proprie tot caesuras habere versum, quot in ipso versu ordines finiuntur. Sed quaeritur, quos intelligas ordines; possunt autem intelligi aut ordines metrici, aut ordines vocabulorum, aut utrique coniuncti. Quodsi illud tenemus, plures unumquemque versum habere posse caesuras, facile erit intelligere, quid dici caesuram oporteat. Neque vero dubium esse potest, quin caesurae illae legitimae trimetrorum iambicorum et hexametrorum dactylicorum eadem ratione efficiantur, qua tetrametrorum anapaesticorum et trochaicorum, quaque hexametrorum ea quae dicitur bucolica. Commune autem illis caesuris omnibus nihil est, nisi quod efficiuntur fine vocabuli in ipso versu. Iure igitur nostro caesuram dicemus eum locum in ipso versu (nam in versus fine caesura nulla potest esse), quo vocabulum aliquod finitur. Tot igitur caesuras versus habet, quot in eo vocabula finiuntur. Tot autem locis potest in versu vocabulum finiri, quot syllabis constat. Atque hic est numerus omnium caesurarum, quae in quoque versu esse possunt, cui summae ea non est adnumeranda caesura, quae efficitur fine ultimi vocabuli, quippe quae nulla sit caesura. In hexametro igitur versu, qui septemdecim syllabarum esse potest, sedecim caesuris locum esse apparet, de quibus singulatim Hermannus in *el. doctr. metr.* pp. 334 sqq. disputavit. Sed harum caesurarum aliae gravioris, aliae levioris sunt momenti, aliae interdum vitiosae; itaque de singulis breviter erit disputandum legesque perscrutandae quas sibi posuit Ovidius in versibus suis componendis. Quod ut via ac ratione faciamus, discernendum est inter caesuras; nam caesura aut **necessaria** est aut non **necessaria**; **necessariam** eam dicimus, quae totum versum quasi regit, quaque destitutus versus erit vitiosus. Tenendum autem est, unam tantum cuique versui necessariam esse caesuram, reliquas omnes eidem versui non esse necessarias.

Primum igitur disserendum est de hexametri caesura necessaria, quam non inepte primariam vel principalem versus caesuram dixeris. Videtur autem vis ac natura huius caesurae ea esse, ut varietur numerus totius versus, qui uno velut tenere procedens taedium auribus afferret. Itaque is erit huius caesurae locus, quo versus in duas partes dividatur, non eas quidem aequales, qua re invenustus existeret versus, neque vero nimium inter se discrepantes, ne versus prorsus videatur dilacerari. Huc accedit, quod illae duae partes prope aequales hexametri non ita conformatae esse debent, ut utraque ab arsi incipiat, utraque thesi finiatur. Itaque caesura post thesim tertii pedis non potest esse legitima quaeque bonum reddat versum. Quod ut nemini non persuadeam, versus alicuius Ovidiani (met. I, 123) vocabula ita inter se commutabo, ut haec caesura efficiatur:

Tum primum Cerealia | longis semina sulcis — Obruta sunt.

Quis hunc versum ferat? qui intolerabilior etiam, si fieri poterit, existet, ita collacatis vocabulis, ut tertius pes constet e spondeo:

Tum Cerealia primum | longis semina sulcis.

Haec igitur hexametri forma prorsus aliena est ab arte non solum Ovidii, sed, puto, cuiuslibet veteris versificatoris; nam qui huius modi versus Enniani feruntur, eos aut a Merula fictos esse aut vitio laborare verisimile est.¹⁾ At sunt versus et Ovidii et aliorum poetarum, qui caesuram habeant in fine pedis tertii. At hi omnes ita sunt comparati, ut alio loco legitimam suam caesuram habeant, et ea quae est post pedem tertium, non sit necessaria; quare de his versibus infra erit dicendum, quum de caesuris non necessariis disputabimus. Quodsi haec non potest hexametri caesura legitima esse, restant tres, quibus leges quas supra posuimus non obstant: prima post arsim tertii pedis, altera post primam thesios tertii pedis syllabam brevem, tertia post arsim quarti pedis. Quarum caesurarum una legitima est cuilibet versui Ovidiano, neque alia potest esse ulla, quae totum versum regat ac sustentet. Dicimus igitur versum caesura carere, qui nullam e tribus illis caesuris habet; quales apud Ovidium nulli inveniuntur. Longe autem saepissime Ovidius ea caesura utitur legitima quae est post arsim tertii pedis, quam grammatici graeci περιπυμαρῶ vocant, latini **semiquinariam**:

In nova fert animus | mutatas dicere formas. (I, 1.)

Cadmus agit grates | peregrinaeque oscula terrae. (III, 24.)

1) Perpaucos Lucretii versus ita conformatos Herm. attulit p. 337.

Et videtur sane haec caesura maxime idonea esse, quae suavem quandam numero totius versus varietatem afferat aptumque in recitando quiescendi paullisper locum praebeat. Has enim duas partes in quas versus dividitur:

— — — — — | — — — — —

si comparaveris, posteriorem paullo longiorem invenies quam priorem, ab arsi priorem incipientem, a thesi posteriorem, arsi priorem finitam, thesi posteriorem. Consentaneum autem est, suavitatem ac venustatem caesurae minui, si incidat inter duo vocabula quae sensu arcte sunt coniuncta, vel si unum tantum vocabulum, quod ad ea quae sequuntur verba sit referendum, caesurae praecedat. Tollitur autem haec offensio saepe altera caesura, quae est post arsim quarti pedis, qua de re infra erit dicendum; nunc id agendum, ut quae vocabula caesura distrahi liceat apud Ovidium demonstramus. Nihil igitur offensionis est, si caesurae locus est inter adiectivum et substantivum, ut:

Et ne nulla suae | stirpis monumenta manerent. (I, 159.)

Quamquam satis raro, si adiectivum et substantivum caesura versus legitima dirimuntur, ita collocantur, ut nullo alio interposito vocabulo alterum alterum sequatur; saepissime, id quod multo videtur elegantius, ita ut alia vocabula intercedant, ut:

Ad mea perpetuum | deducite tempora carmen. (I, 4.)

Multo vero maiorem offensionem praebet caesura si est inter praepositionem et substantivum, ita ut praepositio antecedit, substantivum sequatur caesuram; cuius rei exempla sunt:

Arge iaces, quodque in | tot lumina lumen habebas. (I, 720.)

Iam cinis est et de | tam magno restat Achille. (XII, 615.)

Paullo minus dura erit caesura post bisyllabam praepositionem, ut:

Ecce furens contra | sua fata bipennifer Arcas. (VIII, 390.)

Dumque refert inter | meritorum maxima demptos. (VII, 302.)

Nemo est quin tales versus paullo duriorem numerum habere statim sentiat; quare mirum non est, Ovidium perraro ita caesura usum esse atque haud scio an versus quos attuli sint omnes, qui in met. libris ita conformati inveniuntur. Similis est ratio eorum versuum, quorum caesura est post monosyllabam coniunctionem, qualis est *et*, *atque*. Cuius rei exempla proponam:

Lucibus isse novem et | terram adspexisse petitam. (XIV, 227.)

Inque vices adita atque | exhausta pericula saepe. (XII, 161.)

Versus autem, quorum caesura est post coniunctiones **et, atque**, in met. libris inveniuntur 26,²⁾ quorum in numero non pauci sunt, qui praeter hanc caesuram alteram habeant post arsim quarti pedis, ut dubium sit utra harum caesurarum principalis sit ac legitima, ut:

Crescere quod subito et | maius | maiusque videri. (VII, 639.)

Quotiescunque igitur per huius caesurae leges quas infra afferemus fieri licet, nihil est quod non hanc necessariam, eam quae est post arsim tertii pedis in numero non necessariarum habeamus. In omnibus autem illis versibus ea syllaba, quae praecedit **et, atque** coniunctionibus, eliditur, uno excepto versu:

Miratur magis, et | cursus facit ipse decorem. (X, 590.)

Ab horum versuum ratione non multum differunt ii qui sunt eiusmodi:

Miles adest, et ni | dedantur, bella minatur. (XIII, 661.)

Ipse pavet, nec qua | commissas flectat habenas. (II, 169.)

omnesque ii, quorum caesurae legitimae praecedit vox monosyllaba; de quibus versibus infra erit disputandum, ubi de caesura quae est post finitam thesim secundi pedis disseremus.

Restat ut pauca addam de elisione cum hac caesura coniuncta. Eliditur autem in ipsa hac caesura nunquam syllaba longa, quater syllaba **m** littera finita,³⁾ paullo saepius syllaba in brevem vocalem desinens, ut:

Et forti genitore | et progenitore Tonanti. (XI, 319.)

Non ita rara est elisio **que** coniunctionis, ut:

Tot natos natasque | et pignora cara, nepotes. (III, 134.)

Versus autem, quorum in caesura semiquinaria eliditur **que** coniunctio, inveniuntur 84, quo in numero sunt 35, qui additam habent caesuram post arsim quarti pedis; cuius rei exemplum afferam versum qui admodum raram praebet formam:

Adspicio noscoque. | Adeunt regemque salutant. (VII, 651.)

2) I, 166; 587; 591; II, 314; IV, 319; V, 134; 670; VI, 554; VII, 583; 639; IX, 20; 211; X, 590; 738; XII, 161; XIII, 6; 41; 74; 79; 122 (sunt hi quinque versus ex oratione Aiacis arma Achillis sibi vindicantis); XIII, 277; XIV, 103; 227; 274; XV, 763; quibus accedit III, 670:

Corpore depresso et | spinae curvamina flecti.

nisi magis placet cum nonnullis ita scribere hunc versum:

Corpore et expresso | spinae curvamina flecti.

3) VIII, 738; XII, 544; XIII, 549; XV, 90.

Raram dico formam propterea, quod in hoc versu ad elisionem cum caesura coniunctam accedit interpunctio enunciativae finis; cuius rei frustra fortasse alterum in met. libris exemplum quaesieris. In iis autem versibus qui caesuram post arsim quarti pedis additam habent, quotiescunque per conformationem totius versus fieri licet, illa necessaria erit habenda, semiquinaria non necessaria. Quod dubium non potest esse in versibus, quales sunt:

Poscit equos; tantique operis | mercede negata. (XI, 214.)

Taygetenque hyadasque oculis | arctonque notavi. (III, 593.)

Restant tamen nonnulli, in quibus difficile est diiudicare utra caesura legitima sit, ut:

Orantem frustra que | iterum | transire parantem. (X, 72.)

O periture, tuaque | aliis | documenta dature (III, 577.)

Morte, ait, ede tuum | nomen | nomenque parentum. (III, 578.)

Iam perventum est ad alteram caesuram quam necessariam hexametri esse posse diximus; quae est post primam syllabam tertii pedis theseos; ex quo patet huius caesurae locum non esse in iis versibus, quorum tertius pes e spondeo constat. Haec caesura, quam graeci *τοιμήν τήν κατά τρίτον τροχαιόν*, latini **trochaleam** vocant, ita versum distinguit:

— — — — — | — — — — —

Partem vides posteriorem paululo longiorem quam priorem, alteram ab arsi, alteram a thesi incipientem, utramque thesi finitam; unde facile perspicitur paullo minorem varietatem duarum illarum partium hac caesura effici quam semiquinaria, ut qua prior pars arsi finiatur, altera thesi. Quare Hermannus lenitatem quandam habere eam dicit et mollibus argumentis accommodatissimam esse (p. 337.). Exempla sunt:

(Cuncta prius tentanda |, sed immedicabile vulnus. (I, 190.)

Pentheas tu, venerande |, bipenniferumque Lycurgum. (IV, 22.)

Simili autem utriusque partis exitu:

Pénthea tú, veneránde,
bipénniferúmque Lycúrgum

minorem varietatem numeri effici nemo erit quin perspiciat, praesertim si versus qui sequitur duas partes comparaverit:

Sácrilegós maetás,
Tyrrhénaque mittis in aéquor — (corpora).

Nunquam cum hac caesura ut legitima apud Ovidium — et puto apud nullum poetam latinum — coniuncta est semiquinaria; quae res facilem habet explicationem e parvulo numero vocabulorum latinorum, quae et ex una syllaba brevi constant nec ad ea quae sequuntur necessario referantur. Saepissime vero coniuncta est caesura post arsim quarti pedis, ut:

Poena placet diversa |, genus | mortale sub undis — perdere. (I, 260.)
Quod ubi factum esse invenimus, dubitari potest, utra caesura sit primaria totius versus habenda. Sed si reputaveris, caesuram trochaicam nimis esse mollem et perraro usurpari ab Ovidio non addita semiseptenaria, facile mecum consenties, si omnibus iis versibus semiseptenariam, non trochaicam, esse dicam legitimam, quibus non totius versus compositione cogimur trochaicam habere necessariam. Ut enim nemo erit qui versum quem supra scripsi ita distinguat:

Poena placet diversa, genus | mortale sub undis,
ita apparet versum I, 13 sic describendum esse:

Ponderibus librata suis |, nec brachia longo;
quem si hoc modo descriptum recitaveris:

Ponderibus librata | suis, nec brachia longo,
verba sensu arctissime cohaerentia dirimes, non cohaerentia coniunges. Hoc si tenemus, non multi erunt versus, quorum caesura legitima sit dubia, qualis fortasse hic est:

(vidisse putatur —) Et meritum dixisse feres virtutis honorem (VIII, 386.); quamquam equidem huic versui caesuram trochaicam legitimam esse crediderim. Sed longe plurimi eius generis versus ita comparati sunt, ut de caesura dubitari nequeat. Versus autem, quibus caesura trochaica est legitima non addita semiseptenaria, in met. libris inveniuntur viginti duo, quo in numero sunt septem, quorum caesura est post **que** coniunctionem. His accedunt triginta quattuor (quamquam de uno alterove dubitationis nonnihil relinquitur), qui c. trochaicam habent cum semiseptenaria coniunctam ita ut trochaica necessaria sit censenda, altera non necessaria. Iure igitur nostro contendimus Ovidium perraro caesura trochaica usum esse legitima, quum omnino eius generis versus in met. libris inveniuntur 56. Iam vero de hac caesura disputandi finem faciam, ubi illud addidero, in ea nunquam syllabam elidi; quod ubicunque factum est, adiuncta est c. semiseptenaria ut legitima et propria versus caesura.

Tertia caesura legitima hexametri est post arsim quarti pedis, quam graeci ἐφθρημικὴ, latini semiseptenariam dicunt. Exemplum habes VIII, 508:

Me miseram! male vincetis |; sed vincite, fratres!

Partes autem duas habemus totius versus has:

— — — — — | — — — — —

easque ita comparatas, ut prior ab arsi, posterior a thesi incipiat, prior arsi, posterior thesi finiatur, prior autem aliquanto longior sit posteriore, qua sola re haec caesura differt a semiquinaria, ut quae priorem partem paullo brevior reddat quam posteriorem. Quum vero nimis longa videatur pars prior, metrici hanc illius caesurae legem statuerunt, ut dicerent addi oportere caesurae semiseptenariae alteram caesuram post arsim secundi pedis; quam legem a poëtis et graecis et latinis plerumque observatam esse videmus. Hac autem ratione non in duas sed in tres partes versus dividitur haec:

Me miseram || male vincetis ||; sed vincite, fratres!

Quamquam hoc ita accipiendum videtur, ut totus versus in duas tantum partes dividatur, quarum prior, ut paullo maior posteriore, bipartita sit. Neque est negandum, effici ea ratione gratam quandam numeri varietatem, elegantior, quam quae efficiatur caesura semiquinaria. Ovidius vero, quamquam plerumque illam legem eum secutum esse invenimus, nonnunquam utitur caesura semiseptenaria ita ut non addat eam quae est post arsim secundi pedis, ut:

Solane semper ero iniustus | exercita curis? (XV, 768.)

Alia autem est consuetudo Ovidii propria digna quae commemoretur. Solet enim huic caesurae addere aut semiquinariam aut trochaicam. Namque ex omnibus met. versibus, quorum summa est 11993 vel 11996, septem tantum caesuras semiseptenariam habent nec cum trochaica nec cum semiquinaria coniunctam.⁴⁾ In omnibus aliis versibus, qui semiseptenariam caesuram habent legitimam, additur aut trochaica aut semiquinaria, ut:

Altera, quas Oriens | habuit ||, praelata puellis (IV, 56.)

Contiguas tenere | domos ||, ubi dicitur altam — (IV, 57.)

Facile autem intelliges, horum versuum utrumque exhibere diversum quendam numerum; in altero enim, qui habet c. semiquinariam ad semiseptenariam additam, ictus tertius est in syllaba ultima vocabuli Oriens, discrepante accentu grammatico, in altero idem tertius ictus in syllaba penultima est vocabuli tenere, consociato accentu

4) Versus praeter duos quos attuli (VIII, 508; XV, 768.) sunt haec: VI, 250; 437; XI, 630; XII, 506; XV, 862.

grammatico et ictu metrico. Magnum autem esse discrimen numeri inter utrumque versum, statim senties, si secundum metricum accentum recitaveris:

(193) Oriéns habuit — tenuére domós.

Quod quo magis omnibus persuadeam, hos versus adscribam utriusque generis:

Signaque séx foribús dextris | , totidemque sinistris etc. (II, 18.)

Terra virós urbésque gerit | , silvasque ferasque. (II, 15.)

In omnibus autem iis versibus, qui utramque caesuram habent, et semiseptenariam et trochaicam vel semiquinariam, quaerendum est, utra legitima sit et primaria ducenda; ad quam quaestionem diiudicandam inprimis sensus erit respiciendus totius orationis. Saepe autem interpunctione res conficitur, ut:

Prima videt redditque notas | . Ubi terra recessit — (XI, 466.)

Candidus in medio favus est | . Super omnia vultus — (VIII, 677.)

In aliis versibus verba arctissime cohaerentia prohibent, quominus caesuram trochaicam vel semiquinariam legitimam putemus, ipsaque orationis structura suadet, ut caesuram semiseptenariam principalem esse dicamus; ut:

Obstabatque aliis aliud | , quia corpore in uno — (I, 18.)

Sic opus est; aperite domos | , ac mole remota — (I, 279.)

Monendum tamen est, adiectivum et substantivum in uno versu collocata ita, ut alterum alterum non excipiat, plerumque intercedente caesura disiungi, qua re grata quaedam orationis elegantia efficitur, praesertim si duo adiectiva et substantiva in uno versu ita disposita sunt.⁵⁾ Itaque hoc momentum hand leve nonnunquam in diiudicanda caesura erit, ut:

Incaluit sumpsitque novas | fervoribus iras — (II, 175.)

Contra: Et teneros manibus | ramos abrumpere, at inde — (II, 359.)

Sed iusto pluris hoc argumentum facere noli; inprimis enim illud respiciendum erit, qua ratione versus unusquisque sit conformatus, ut recte de caesura iudicari possit. Eandem fere vim habebit argumentum quod nunc proponam. Etenim supra diximus, minus gratam esse elisionem in ipsa caesura semiquinaria; quotiescunque igitur per totius versus compositionem semiseptenariam legitimam censere licet, non est quod ita eam offensionem non effugiamus; ut nemo hos versus dubitabit sic distinguere:

Lactus erat, mistoque oneri | gaudebat honore. (II, 634.)

Armat? ait; cecidere illis | animique manusque. (VII, 347.)

5) Tales versus sunt:

Cautus humum longo | signavit limite mensor. (I, 136.)

Qui fera terribili | iaculatur fulmina dextra. (II, 61.)

Semiseptenariam vero caesuram addita elisione rarissime legitimam habendam esse censeo; cuius rei haud scio an hoc sit idoneum exemplum:

Quod superest, multum est in vota |, in crimina parvum. (IX, 629.)

Sed ut iam de tota hac re quae sit nostra sententia paucis explicemus, sic putamus statuendum, ut quotiescunque c. semiseptenariam cum trochaica coniunctam invenimus dummodo per totius versus structuram fieri liceat, semiseptenariam legitimam habeamus, contra ubicunque semiquinaria cum semiseptenaria coniuncta est, nisi aperta quadam ratione semiseptenariam legitimam dicere cogamur, semiquinariam necessariam versus caesuram esse putemus.

Quod supra diximus Ovidium caesuram semiseptenariam adhibere non raro neglecta ea quae est post arsim secundi pedis, id iam pluribus exemplis debemus comprobare. Et ne quis dicat, iis versibus semiquinariam caesuram esse legitimam, nulla exempla afferemus, quae vel minimam dubitationem de caesura necessaria movere possint. Iam vide hos versus:

Officiumque negat mundo |. Satis, inquit, ab aevi — (II, 385.)

Praemia magna peti fateor |; sed demit honorem — (XIII, 16.)

Nam mihi Laërtes pater est |, Arcesius illi; (XIII, 144.)⁶⁾

Ergo opera illius mea sunt |. Ego Telephon hasta — (XIII, 171.)

Atque in rege tamen pater est |. Ego mite parentis — (XIII, 187.)

Dignum autem videtur quod commemoremus, nunquam id fieri addita caesura trochaica, sed quotquot eiusmodi versus sint, addi semiquinariam.

Haec habui quae de caesura necessaria hexametrorum qui sunt in met. libris disputarem. Omnes autem versus si computamus, fere 56 invenimus quorum caesura legitima est trochaica, 7 quibus legitima est semiseptenaria addita nec trochaica nec semiquinaria, duo fere milia versuum qui semiseptenariam legitimam habent aut cum trochaica aut cum semiquinaria coniunctam, plus novem milia quorum legitima caesura sine dubio est semiquinaria.

Restat ut de interpunctione cum caesura coniuncta pauca addamus. Et legitimum quidem interpunctionis locum finem esse versus apparet. Si in ipso versu interpungendum est, aptissimum esse interpunctionis locum caesuram versus necessariam

6) Nisi forte magis placet tales versus, qui non pauci sunt ita comparati, ut quae inter arses tertii et quarti pedis interposita sunt vocabula et ad priorem et ad posteriorem partem referantur, sic distinguere:

Nam mihi Laërtes |, pater est Arcesius illi.

nemo erit quin facile concedat. Ita apud Ovidium saepissime interpunctionem invenimus coniunctam et cum semiquinaria et cum semiseptenaria caesura, ut:

Convocat hic amnes |. Qui postquam tecta tyranni — (I, 276.)

Tum primum subiere domos |. Domus antra fuerunt. (I, 121.)

Cum trochaica vero caesura perraro interpunctio coniuncta est; neque enim interpunctionem dico hanc:

Poena placet diversa |, genus mortale sub undis — (I, 260.)

Ne versum quidem V, 599 huc pertinere censeo:

Quo properas, Arethusa? suis Alpheus ab undis — dixit.

Etenim hoc interrogationis signo non finis enuntiati significatur. Unum restat in met. libris exemplum: (VIII, 3, 4.)

Dant placidi cūrsū redeuntibus Austri

Aeacidis Cephaloque |; quibus feliciter acti —

Sed ne hac quidem interpunctione oratio finita signatur. Nulli autem versus in met. libris inveniuntur, quales aliquot sunt in aliis Ovidii carminibus, ut:

Utendum est aetate |; cito pede labitur aetas. (A. A. III, 65.)

Nuper erat dea facta |; venit Gradivus ad Annam. (Fast. III, 677.)

Similes sunt versus: Am. III, 3, 1; III, 2, 63; Fast. II, 859; III, 699; IV, 895; V, 149. Tales vero versus nusquam apud Ovidium inveneris, quales sunt apud Horatium non pauci ita interpuncti:

Ad pugnam venere |. Prior Sarmentus: equi te — (Sat. I, 5, 56.)

Pervenimus ad alteram huius capituli partem, qua de caesuris non necessariis hexametri dicendum erit; quae quoniam non totum versum quasi regunt sed singulorum tantum pedum numerum variant, a nonnullis haud inepte **podicae caesurae** (*ποδικαὶ τρυφαί*) appellantur. Sunt autem in quoque versu praeter unam necessariam caesuram tot podicae, quot praeterea in ipso versu vocabula finiuntur. Quod quum fieri possit in hexametro versu sedecim locis, sedecim caesurarum podicarum genera sunt. Quamquam enim ex hac summa unam unicuique versui necessariam c. esse oportet, tamen alii alia c. est necessaria, ut etiam cae caesurae, quas supra demonstravimus necessarias esse posse, podicis adnumerandae sint, si non sunt legitinae versus caesurae. Quum vero de tribus illis caesuris iam dictum sit, restant tredecim de quibus nunc erit disserendum. Ponderus autem caesurae mirum quantum augetur addita interpunctione; quo fit ut quaedam caesurae, quae nullam offensionem praebent oratione procedente, interpunctione addita aut prorsus ferre nequeant aut rarissime adhibeantur. Quare de quavis caesura disputantes, quae ad interpunctionem spectant

adiiciamus. Discrimen autem neque id quidem negligendum intercedit inter caesuras illas podicas; aliae enim sunt in fine pedum, quae sunt numero quinque, aliae pede non finito, numero undecim, quarum octo restant de quibus disserendum sit. Et primum quidem dicatur de iis quae sunt in ipsis pedibus metricis, tum de iis quae sunt in fine pedum.

Prima caesura podica est post arsim primi pedis et efficitur monosyllaba voce in principio versus posita, ut: In | nova fert — etc. Interpunctio ab Ovidio nunquam additur; neque enim quisquam interpunctionem hanc dixerit:

Quae, diversa locis, partim sorbentur ab ipsa, (I, 40.)

et si qua sunt similia exempla; frustra autem in met. libris versum quaesieris, qualis est hic Horatianus (Sat. I, 6, 61.):

Respondes, ut tuus est mos,

Pauca | ; abeo, et revocas etc.

Caesura, quae est post priorem primi pedis syllabam brevem, satis raro cum interpunctione coniungitur. Exemplum sit:

violavit Penthea thyrso

Mater | . Io, geminae, clamavit, adeste sorores. (III, 711.)

Addendi sunt versus, quorum initium est: Dixit; et etc. Apparet autem vocabulum ita in initio versus positum et interpunctione ab iis quae sequuntur disiunctum vi quadam singulari affici, ut illud: **mater**.

Caesura in arsi secundi pedis saepissime invenitur et supra iam diximus, eam plerumque addi caesurae semiseptenariae quo magis numerus sustentetur elegantiorque reddatur. Sed persaepe etiam cum semiquinaria nec raro cum trochaica coniuncta est. Est autem in hac caesura praeter semiquinariam et semiseptenariam legitimus interpungendi locus. E multis exemplis unum liceat afferre:

Hector erat | . Tum colla iugo candentia pressos — (XII, 77.)

Ab ea caesura, quae est in media thesi secundi pedis, aliena est interpunctio. Unum exstat in met. libris eius rei exemplum:

Longa mora est, quantum noxae sit ubique repertum,

Enumerare | ; minor fuit ipsa infamia vero. (I, 215.)

Versum enim XII, 602:

Quid spicula perdis

Sanguine plebis | ? ait.

huc non pertinere nemo non concedet.

Neque ad caesuram in media quarti pedis thesi interpunctio additur, excepto uno versu:

Utinamque exempla dolentem

Non mea te possent relevare |! sed et mea possunt. (XV, 496.)
cui haud scio an alterum in met. libr. simile invenias; mihi quidem versus XII, 485:

Medio iugulaberis ense,

Quandoquidem mucro est hebes, inquit |; et in latus ensem

Obliquat etc.,

quem quis illi adnumerandum esse putet, longe aliter videtur esse comparatus.

Venimus ad caesuram quam Ovidius ut parum elegantem videtur evitasse, eam dico quae est in arsi quinti pedis. Nam ut hoc loco paucos eos versus omittam, qui aut voce quattuor syllabarum finiuntur, aut trisyllaba quae e molosso constat, quos infra afferam, ubi de numero qui est in fine versus legitimus disputabo, Ovidius hac caesura ita utitur, ut praecedat vox monosyllaba, sequantur duae plerumque bisyllabae, nunquam ita ut praecedat vox hypermonosyllaba. Interpunctionis autem in hac caesura locus non est. Exempla proponam:

I, 607: aut | ego fallor — . IX, 404: ab | Iove vinci — .

I, 757: ille | ego liber — . VII, 172: ergo | ego cuiquam — .

Versuum qui hoc modo finiuntur summa est 35. Qua vero causa Ovidius permotus ea caesura tam raro nec nisi praecedente monosyllaba voce usus sit, infra docebimus, ubi de ictu et accentu inter se pugnantibus disseremus.

Iam quae sequitur caesura in media thesi quinti pedis, minime rara est, quum saepissime versus hexametri trisyllabo vocabulo finiantur. Interpunctio autem huic caesurae plerumque non additur, nisi novum quid maiusque adiungitur, ad quod animos legentium audientiumve ipsa versus conformatione attentiores fieri vult poeta. Saepe igitur his verbis finitur versus: —; at ille —, —; at inde. —; sed iste —, et quae sunt similia. Cf. vv. I, 283; 472; II, 359; 544; 582; 770; 819 etc. His versibus accedunt alii pauci, ut:

Non potes invitae Cereris gener esse; roganda,

Non rapienda fuit. — (V, 415.)

Depressitque duos, Brotean et Orion. Orio

Mater erat Mycale. (XII, 262.)

Caesurarum quae sunt in ipso aliquo pede restat una, quae est in arsi sexti pedis efficiturque versu monosyllaba voce finito. Cui si praecedat altera monosyllaba, nihil versus praebet offensionis, ut nonnunquam versus finiuntur hoc modo:

— sed qui (XII, 93). — sic stant (XII, 401). — et hac est (XII, 618).

— non est (XIII, 584). — quot sint (XIII, 822) etc.

Versus autem, quorum finis est vocabulum monosyllabum praecedente hypermonosyllabo, in met. libr. inveniuntur omnino octo, qui sunt hie:

- Arethusa sacer fons (V, 573). — neu longa ambage morer vos (VII, 520).
- iubar aureus extulerat Sol (VII, 663). — vulnificus sus (VIII, 358).
- aequoreus rex (VIII, 603). — semicaper Pan (XIV, 515).
- caput abdiderat Sol (XV, 30). — sidereum Nox (XV, 31).

Neque interpunctionis in hac caesura locus est, neque unquam syllaba eliditur; versus enim quorum in fine collocatum est vocabulum est, aliter comparatos esse nemo non videt, quum non quae praecedit syllaba elidatur, sed ipsius vocabuli est littera e aphaeresi absumatur, ut:

XIV, 841: — dicere promptum 'st. XIV, 851: — iuncta Quirino 'st.

Podicis iis caesuris quae sunt in fine pedum id efficitur, ut inde ab his caesuris initium versus quasi iteretur; id quod obesse posse venustati numeri apparet, quum novum prorsus versum recitare nobis videamur; ut:

Impulit | . Utque alios taceam, quos ille peremit — (XII, 552).

Multum tamen interest quo versus loco hae caesurae adhibeantur. Minus enim elegantes videntur eae, quae sunt in fine secundi et tertii pedis. Quare primum de his dicendum videtur. Et supra iam diximus caesuram in fine tertii pedis totum versum dividere in duas partes aut prorsus aut propemodum aequales; ut:

Se mihi, sitque oculis lux | ista novissima nostris (I, 772).

Si modo fert animus, gradere | et scitabere ab ipso (I, 775).

Sed hos versus apparet non ita recitandos esse ut in hac caesura quiescas, quum ipse sensus postulet, ut in caesura semiquinaria, quippe quae utrique versui legitima sit, maior fiat incisio, hoc modo:

Se mihi, sitque oculis | lux ista novissima nostris.

Si modo fert animus | , gradere et scitabere ab ipso.

Plerumque igitur eiusmodi versus ita comparati sunt, ut aut caesuram habeant legitimam semiseptenariam, aut vocabulum monosyllabum vel bisyllabum, quod positum est inter hanc de qua nunc agimus caesuram et semiquinariam, arete cum iis quae sequuntur verbis sensu coniunctum sit. Quodsi ita versus compositus est, vix quisquam offendetur. Patet autem ex iis quae diximus, invenustam esse hanc caesuram coniunctam cum interpunctione. Maior igitur interpunctio ab Ovidio adiuncta nusquam est; levis interpunctionis exempla pauca inveniuntur, ut:

Quidque agat ignarus stupet | , et nec frena remittit — (II, 191).

Cf. III, 648; VIII, 852; X, 466; XV, 773. I, 389; I, 657.

Neque vero minorem offensionem caesura in fine secundi pedis nonnunquam habebit, propterea quod, ut haec caesura efficiatur, ante caesuram semiquinariam, quae longe plurimis versibus est necessaria, monosyllaba vox posita sit necesse est; quae de re supra iam dictum est. Sed his quoque versibus offensio tollitur, si is verborum nexus est, ut monosyllabum hoc vocabulum ad ea quae praecedunt necessario sit referendum, aut si caesura sequitur legitima non semiquinaria sed trochaica vel semi-septenaria. Nemo igitur hos versus vituperabit, quod caesuram habent podicam finito pede secundo:

Nec quidquam, nisi | pondus iners, congestaque eodem — (I, 8.)

Funda iacit; volat | illud et incandescit eundo. (II, 728.)

Deerat adhuc, et | quod dominari in cetera posset. (I, 77.)

Paullo molestior haec caesura erit, ubicunque monosyllaba coniunctione, necessario ad ea quae sequuntur pertinente, novum additur, ut ipso sensu haec caesura maiorem vim accipiat. Sed quum de hoc versuum genere supra iam sit dictum, ubi de caesura semiquinaria disputatum est, nunc nihil restat, nisi ut addam cum hac caesura Ovidium non solere interpunctionem maiorem coniungere. Nullum enim in met. libr. versum invenias, qualis est Virgilianus hic: (Georg. II, 256.)

Promptum est oculis praediscere nigram,

Aut quis cui color | . At sceleratum exquirere frigus — .

Restant caesurae tres: in fine primi, quarti, quinti pedis; quarum duas quas priore loco posui tantum abest ut fugerint poëtae veteres, ut his caesuris maiorem elegantiam posse versibus suis parari videantur putavisse. Quae autem est post thesim primi pedis, si coniuncta est interpunctio, id efficit, ut quod in initio versus collocatum est vocabulum ab iis quae sequuntur interpunctione disiunctum maiore quadam vi auribus animisque audientium se offerat. Nec raro apud Ovidium in initio versus leguntur:

Dixerat. — (XI, 589.) — Iusserat. — (I, 281.) — Nec mora. — (I, 717.) —

Et dedit. — (II, 695.)

At mirum quantum huius caesurae cum interpunctione coniunctae vis augetur, ubi vocabulum quod praecedit cum prioris versus verbis arcte cohaeret; cuius rei luculentum exemplum habes v. XII, 464:

— membris et corpore Latreus

Maximus.

Quamquam vero saepissime hac caesura Ovidius utitur addita interpunctione, satis tamen raro fieri videmus, ut primus pes e spondeo constet, ut:

Misera de sede volenti!

Exire. Utque etc. XI, 789. Cf. X, 170; VII, 106; II, 420.

Caesura post thesim quarti pedis, quae a graecis τετραποδία βουκολική, a latinis caesura bucolica appellata est, iam a grammaticis veteribus valde celebratur, ut quae singularem quandam elegantiam venustatemque versui comparet. Bucolicae vero caesurae nomen ita intelligendum esse censeo, ut mero dactylo praecedente et interpunctione addita aliqua hoc nomen iure usurpari stituamus. Nemo igitur horum versuum caesuram quae est post pedem quartum bucolicam dixerit:

Tunc etiam, quae me subiectis | excipit undis,

Ne ferar in praeceps, Tethys solet | ipsa vereri. (II, 68, 69.)

Monendum autem hoc loco est, nunquam in met. libr., si quartus pes e spondeo constet, post eum interpungi. Neque enim invenitur exemplum huic Horatiano simile:

Non minus ignotos generosis | . Quo tibi Tulli — (Sat. I, 6, 24.)

Sed ut iam ad caesuram quam proprie dicimus bucolicam redeamus, versum infra scribam I, 146, in quo subtili quadam arte hanc caesuram cum semiquinaria versus legitima poeta coniunxit:

Imminet exitio | vir coniugis | , illa mariti. 7)

Saepe vero in hac caesura interpungitur, ut:

Et patrio pater esse metu probor | . Adspice vultus — (II, 92.)

Neque silentio praetereundum esse puto, plerumque apud Ovidium huic caesurae praecedere vocabulum bisyllabum pyrrhichicum, ut est illud: probor; neque quisquam negabit ea re mirum in modum augeri vim gravitatemque caesurae. Paulo rarius vocabulum praecedit trisyllabum dactylicum aut vocabulum quod e pluribus syllabis constat; ut:

Dumque rogat, pro qua rogat, occidit | . Orba resedit — (VI, 300.)

Spes interdicitae discedite | . Dignus amari — (X, 336.)

Restat ut addam, nunquam ab Ovidio cum caesura, quam proprie diximus bucolicae nomine significari, coniungi elisionem, neque admitti hiatum, id quod factum est a Virgilio in hoc versu:

Et vera incessu patuit dea | . Ille tibi matrem — (Aen. I, 405.)

Iam perventum est ad caesuram quae est in fine quinti pedis, quae quidem saepissime invenitur apud Ovidium non coniuncta plerumque cum interpunctione, praecedente

7) Similis versus est I, 539.

dactylo, nunquam spondeo. Interpunctionem raro et ita quidem addere consuevit Ovidius ut duo monosyllaba vocabula in pede sexto poneret, ⁸⁾ - ut:

Et color et facies et, dum loquor, omnia? Cur non — (IV, 593.)

Cf. V, 519; VII, 559; VIII, 111; IX, 5; 191; 280; X, 212; 254; etc.

Neque vero prorsus abstinuit exitu bisyllabo addita interpunctione, ut:

Iuppiter ut sit, ait; metuo tamen omnia. Multi — (III, 281.)

Cf. IV, 212; 223; VI, 12; 14; VIII, 632; XI, 245; etc.

Haec habui, quae de caesuris v. hexametri, quales ab Ovidio in met. libr. usurpantur, disputarem; atque ut iam summam disputationis paucis comprehendam, has videtur quasi normas secutus esse: Necessaria versus caesura raro est trochaica, longe plurimis versibus semiquinaria, non ita paucis semiseptenaria, rarissime tamen ita ut non aut trochaica aut semiquinaria sit adiuncta. E caesuris podicis rarae sunt eae quae sunt in arsi quinti et sexti pedis; item eae quae sunt in fine secundi et tertii pedis, nisi quae sequuntur arcte cum iis quae praecedunt cohaerent. Interpungitur in caesura semiquinaria, semiseptenaria, bucolica, in fine primi, in arsi secundi pedis; raro aut nunquam interpunctio coniuncta est cum reliquis caesuris.

Cap. II.

DE ICTU PUGNANTE CUM ACCENTU.

Quum in versu hexametro ictus nunquam in brevi syllaba esse possit, omnia ea vocabula, quorum accentus in brevi syllaba est, apparet in versuum compositione adhiberi non potuisse, nisi ita ut ictus ab accentu discreparet. Id duplici ratione fieri potuit, aut ut haec vocabula in thesi ponerentur, aut ut ictus in aliam syllabam, in aliam accentus caderet. Illud autem fieri non potuit nisi in bisyllabis vocabulis, quae e pyrrhichio constant, ut neque, nisi, bonus, meus, data; hoc et in bisyllabis iambicis fieri oportuit et in trisyllabis anapaesticis et in plurium syllabarum vocabulis, quorum penultima et antepenultima breves essent, ut: cadunt, dederant, finitimos, arundinibus. Denique fieri illud potuit, ut hypermonosyllaborum vocabulorum antepen-

8) De qua re conferantur quae disputavit Herm. p. 341.

ultima syllaba longa, quae necessario accentum haberet, non eadem ictu notaretur, ut: *longos, ingentes, assumpserunt*. Dicimus igitur ictum metricum cum accentu grammatico pugnare in iis vocabulis, quorum in ultima syllaba est ictus, in penultima vel antepenultima accentus, non in iis monosyllabis disyllabisve quae in thesi posita ictum non habent. Fieri autem illud oportet in hexametro ubicunque caesura est in arsi aliqua non praecedente vocabulo monosyllabo, ut: *In nova fert animus —, Di, coeptis —, Ad mea perpetuum —, etc.* Hanc accentus et ictus discrepantiam evitare poeta ita potuit, ut aut caesuras adhiberet in thesi aut in caesuris syllabas elideret⁹⁾ aut monosyllabas voces in arsi poneret. Et inveniuntur in met. libris pauci versus ita conformati, ut nullo loco ab accentu ictus discrepet, quales sunt:

Pentheia tu, venerande, bipenniferumque Lyncurum — (IV, 22).

De grege nunc tibi vir, nunc de grege natus habendus. (I, 660).

Vinxerat inter se connexis vellera nodis — (XII, 430).

Non oblita animorum, annorum oblita suorum — (XIII, 549).

Cf. II, 817; IV, 114; III, 284; XII, 615; XIV, 227; 274; XV, 90.

Fatendum tamen est, hos versus minus venustum praebere numerum, et esse tam raros, ut facile conicias, elegantiam quandam numeri poetarum latinorum versibus suis quaesivisse vocabulis ita collocatis, ut non omnibus locis ictus cum accentu congrueret. Sed videndum simul erat, ne nimia accentus ictusque discrepantia insuaves versus fierent. Itaque hanc legem sibi sanxit Ovidius, ut in fine versus ne discrepant accentus et ictus; quo factum est, ut a caesura in thesi sexti pedis abstineret non praecedente monosyllabo vocabulo. Sed ne in quinto quidem pede ictum ab accentu discrepare voluit, quare usus non est in arsi quinti pedis caesura, nisi praecedente vocabulo monosyllabo.¹⁰⁾ Restant igitur tres caesurae, quibus illa accentus discrepantia effici potest, quae sunt in arsi secundi, tertii, quarti pedis; et his solis locis apud Ovidium accentus et ictus inter se pugnant. Sed satis raro hoc ita factum esse videmus, ut tres deinceps voces se excipiant quae ictum in ultima syllaba habent, ut:

Quaque fuit tellus, illic et pontus et aër. (I, 15);

rarissime autem ita, ut haec tria vocabula eodem numero essent aut anapaestico aut spondiaco, ut:

9) Elisa enim ultima vocabuli syllaba accentus aut in eadem syllaba servari potest, in qua est vocabulo integro, aut retrahi in tertiam a fine syllabam.

10) Cf. quae supra de hac caesura disputavimus quosque infra versus spondiacos afferemus vocabulo trisyllabo finitos.

Ne dubita, dabitur; Stygias iuravimus undas. (II, 101).

Et dignos Baccho, dignos et Apolline crines — (III, 419).


Qua vero ratione permotus Ovidius raro versus hoc modo composuerit facile perspicitur; saepe enim iteratis eiusdem numeri vocabulis varietas omnis tollitur, satietasque ac taedium affertur. Saepius igitur uno tantum vel duobus vocabulis utitur Ovidius in uno versu, quae in ultimam syllabam ictum recipiant, ut:

Iamque deus, posita fallacis imagine tauri,

Se confessus erat, Dictaeque rura tenebat. (III, 1; 2.)

Perspicitur autem ex iis quae disputata sunt quantopere numeri varietas elegantiaque augeatur caesura semiseptenaria cum trochaica coniuncta; has enim caesuras qui versus coniunctas habent, necesse est in secundo est quarto pede ictum cum accentu pugnantem, in tertio non pugnantem exhibeant. Quod quantum ad numeri venustatem augendam conferat, supra iam demonstravi, ubi in eo eram ut dicerem de discrimine numeri, qui efficitur caesura semiseptenaria cum trochaica coniuncta, et eius qui efficitur eadem caesura cum semiquinaria coniuncta.

Restat primus hexametri pes; in quo quamquam ictus in syllaba esse potest, quae non habeat accentum, proprie dici non potest ictus ab accentu discrepare, quum non in ultima sed in prima vocabuli syllaba hoc loco ictus sit. — Patebit igitur vel ex hac parva de accentu disputatione, quanta Ovidius fuerit in fingendis suis versibus diligentia, quantamque industriam in eo posuerit ut omnia devitaret removeretque quae obsessent varietati elegantiaeque numeri.



Cap. III.

DE COMPOSITIONE VERBORUM NUMERORUMQUE IN FINE HEXAMETRI.

Eximia videtur fuisse et singularis quaedam cum aliorum poetarum latinorum tum Ovidii diligentia in conformando fine hexametri; quae enim in priore versus parte nullam offensionem praeberent, non eadem omnia in fine hexametri sibi licere putabant. Duae autem sunt potissimum leges, quas religione quadam veriti esse poetae latini videntur; nam et integer numerus dactylicus servatur, nec ictus ab accentu discrepat. Non igitur licuit versum monosyllaba voce finire nisi praecedente

monosyllaba; de qua re supra dictum est. Nec magis sibi licere putavit Ovidius versum finire quattuor syllabarum vocabulo; versus enim qui ita finiuntur magnam partem sunt spondiaci, de quibus iam disputaturus sum; non spondiaci reperiuntur perpauci qui quattuor syllabarum vocabulo finiuntur. Hi autem ad unum omnes nomina propria continent, quae leges metricas in aliis vocabulis religiosissime observatas nonnunquam negligere coegerunt poëtas. Quod ipsi hi versus optime docebunt; unum enim versum XI, 756 si excipimus, in omnibus non ea solum lex de qua nunc agimus sed aliae etiam neglectae sunt. Et duo quidem versus (XIII, 257; 258), qui ita finiuntur: Alastoraqué Chromiúmque, — Noëmonaqué Prytanínque, quae coniunctionem in quinti pedis arsi productam exhibent.¹¹⁾ Restant quinque, qui in arsi quinti pedis elisionem habent neglectam; sunt autem hi: — Phegiacó Erymántho (II, 244); — Hyanteá Aganíppe (V, 312); — Pisaeá Arethúsae (V, 409); — Hyanteó Ioláo (VIII, 309); — Baccheí ululatus (XI, 17). Omissis igitur octo his versibus duobusque qui quinque syllabarum nomine proprio finiuntur (XII, 441; XV, 705) et parvo numero eorum qui in monosyllabum vocabulum desinunt, iure dicemus versus Ovidii hexametros finiri vocabulis aut bisyllabis aut trisyllabis. Utrumque autem versus exitum videtur poëta aequè elegantem habuisse, quamquam paullulo pauciores inveniuntur versus qui trisyllabo, quam qui bisyllabo vocabulo finiuntur. Vocabulo trisyllabo in versus fine posito si alterum trisyllabum praecedit, prius e palimbacchio solet constare (— — ∪), quo exitus ille, ut duo amphibrachica vocabula in fine se excipiant, vitetur, quem iam Joannes Henricus Vossius in ann. ad Virg. Georg. III, 415 docuit minime iucundum fuisse raroque inveniri apud poëtas latinos. Ut igitur legitimus versus finis hic est: — $\overline{\text{in}}\overline{\text{stare}}\overline{\text{videtur}}$, ita rarus hic: — $\overline{\text{rep}}\overline{\text{ugnat}}\overline{\text{haben}}\overline{\text{is}}$. Quorum de debili numero ut ipse iudicare possis, versus hos adscribam integros:

Nix tegit alta duas, totidem inter utramque locavit. (I, 50.)

Nec sibi cedentem Phoeboque parente superbum — (I, 752.)

Duobus illis vocabulis si tertium praecedit idem trisyllabum, id nunquam ex amphibracho constat. Versus autem, quorum in fine duo vocabula amphibrachica posita sunt, in met. libr. inveniuntur 101, pauci illi quidem, si cum omnium versuum summa comparaveris, sed plures, mea quidem opinione, quam pro Ovidii sollertia et eximia vel minimarum rerum subtilitate exspectaveris. Alterum apud Ovidium rarum genus est versuum eorum, quorum in fine est vocabulum bisyllabum praecedente altero

11) Quod qua ratione fiat ab Ovidio, infra docebitur.

bisyllabo pyrrhichico. Quod si factum est, tertium a fine vocabulum esse monosyllabum supra iam diximus. Exstant omnino eiusmodi versus in met. libr. 39, ac mirum potest videri, quod magna eorum pars etiam in quarto pede vocabulum habet pyrrhichicum, quum propter iteratam eandem numeri formam insuavis fieri versus videatur, ut:

Cui deus: „at coniux quoniam mea non potes esse — (I, 557).

Elegantiozem certe huius versus dices numerum:

Quem postquam coelo non repperit, aut ego fallor — (I, 607).

Altera quam supra priore loco posui lex negligitur, si id quod in ceteris versus pedibus nullam offensionem habet, in quinto quoque pede fit, ut pro dactylo spondeus ponatur; qui versus a grammaticis spondiaci nominantur. His autem versibus propter gravitatem quandam numeri poetæ latini elegantiores non solent uti nisi idonea ratione permoti.¹²⁾ Iam si versus spondiacos qui sunt in met. libr. spectamus, eam consuetudinem secutum esse Ovidium videmus, ut hi versus nunquam monosyllabo aut disyllabo vocabulo finirentur, sed plurimorum versuum spondiacorum finis esset vocabulum quattuor syllabarum, cui in quarto pede præcederet dactylus, nunquam spondeus. Horum autem versuum summa est 26, quo e numero quinque caesuram podicam in arsi quarti pedis habent, ut:

Lumina versarunt, animam | simul exhalarunt. (VI, 247.)

Cf. VI, 682; VII, 695; VIII, 23; XI, 456.

Reliqui hanc caesuram non habent, ut:

Margine terrarum porregerat Amphitrite (I, 14),

cui versui accedunt: I, 62; 690; II, 226; 409; III, 667; V, 165; 265; 607; VI, 69; VII, 114; 581; 623; VIII, 527; IX, 283; XI, 304; XII, 219; XIII, 406; 683; XIV, 845; XV, 338.

Restant duodecim v. spondiaci, qui trisyllaba voce finiuntur præcedente hypermonosyllaba; qua re efficitur caesura post arsim quinti pedis, quam in vocabulo non monosyllabo alias ab Ovidio non adhiberi supra demonstravimus. Quorum in versuum numero unus singulari quadam forma est, aptissima illa quidem ad rem ipsam de qua agitur describendam. Est enim v. I, 117:

Perque hiemes aestusque et inaequales auctumnos —,

12) Quamquam nonnunquam apud Ovidium versibus spondiacis excusatio non est nisi e nominibus propriis.

qui versus est unus in met. libr. spondiacus, qui etiam in quartum pedem spondeum receperit. Reliquorum enim quartus pes e dactylo constat; et in tribus quidem vv. VII, 365; XV, 356; 450 trisyllabae voci in fine positae praecedit vox quinque syllabarum: Hyperborea Pallene; — Penatigero Aeneae. Restant octo ita conformati ut trisyllabo vocabulo in fine posito praecedat vocabulum quattuor syllabarum choriambicum, ut: I, 193: — monticolae silvani; I, 732: — luctisono mugitu. Reliqui vv. sunt: II, 247; III, 184; IV, 535; VIII, 314; XI, 93; XII, 536.

Cap. IV.

DE PROSODIAE LEGIBUS AB OVIDIO NEGLECTIS.

Prosodiae leges si neglectas esse dico, hoc non ita acceptum velim, ut quis poëtam putet suo arbitrio ductum quaslibet regulas ad prosodiam spectantes, quas quidem plerumque observaverit, nonnunquam sine ulla idonea causa violasse. Immo nihil unquam putandus est Ovidius admisisse quod prosodiae repugnaret nisi iustam haberet excusationem. Duplici autem ratione excusatio plerumque paratur neglectae prosodiae: si aut vocabulum aliquod nullo alio pacto metro dactylico conveniret, aut in versu est nomen proprium quod poëtam a consueta norma recedere coëgit. Sed nihil, puto, agimus in universum de hac re disputantes; videnda erunt singula. Et violantur leges prosodiae in met. libr. aut correpta syllaba longa, aut producta syllaba brevi, aut neglecta elisione aut synizesi. Primum igitur quae syllabae longae corripiantur demonstrandum est. Et in ipso aliquo vocabulo duae inveniuntur syllabae correptae: penultima Perf. Ind. Act. nonnullorum verborum, quae producta syllaba e metro dactylico repugnant, ut: defuerunt (VI, 584), abstulerunt (VI, 616), abfuerunt (X, 55), etc.; corripitur porro penultima Gen. casus qui finitur syllabis ius; quod semper fieri constat in vocabulo alterius, quippe quod producta penultima a numero dactylico alienum sit; modo producta modo correpta penultima inveniuntur: illius, unius, etc. Ultima syllaba longa vocabuli vale corripitur v. III, 499: vale inquit et echo,¹³⁾ cui addi poterit I, 155: subiecto Peliō Ossam, nisi magis placebit cum

13) Simile exemplum correptae longae syllabae finalis quam sequitur vocabulum a vocali incipiens, est illud Horatianum (Sat. I, 9, 38):

Si me amas — .

nonnullis scribere: subiecto Pelion Ossae. Alia exempla syllabae longae correptae nulla in met. libr. inveniuntur; nemo enim huc referat potitur (IX, 797; XI, 265; etc.), quum potiri verbum aliter atque in prosa oratione declinare soleat poeta; cf. poteremur (XIII, 130), poterentur (XIV, 641).

Productae breves syllabae paullo plures inveniuntur; monendum autem est, produci neque syllabas in ipso vocabulo aliquo, neque syllabas in thesi positas. Saepe igitur in arsi secundi, tertii, quarti pedis producitur Perf. Ind. Act. syllaba ultima it eorum verborum quae cum eundi verbo composita sunt, ut: *sūbīit* I, 114; VII, 170; *īnterīit* III, 544; *ābīit* IV, 712; VIII, 871; XI, 14; XV, 111; *ādīit* IX, 611; X, 15; XV, 63; *redīit* XIII, 957; XIV, 519; 766; *praeterīit* XIV, 101; *pēriit* XIV, 618. His exemplis accedunt similia: *pētiit* II, 567; IX; 612; XIII, 443; *īmpediit* XII, 392. In omnibus autem his exemplis syllabae it productae praecedunt duae breves, quarum posterior constat e vocali i. Ipsum simplex verbum it productum est VIII, 348: Longius *īt*; auctor etc. Iam quinque afferam exempla, in quibus syllaba brevis consonante finita in caesura semiquinaria producitur ante *et*, aut coniunctiones: III, 184: — esse *solet* aut etc. VII, 61: — cara *ferar* et etc. VII, 365: — Rhodōn et etc. X, 98: — myrtus et etc. XIV, 250: — negabamus et etc. Accedit syllaba ultima vocabuli nihil producta in c. semiseptenaria v. VII, 644. Versus autem XII, 529:

Adspexit, pariter animo est oculisque secutus —,
ab aliis aptius ita scribitur: — pariterque oculis animoque secutus. Iam omnia habes exempla productae syllabae brevis, quae consonante finitur, si unum addideris v. II, 247: — Taenarius Eurotas. Syllabae autem quae brevi vocali finiuntur nullae producuntur nisi una coniunctio *que*; et haec ita producitur, ut alterum vocabulum eadem *que* coniunctione adiunctum sequatur, ut: I, 193: Fauniquē satyrique et —; addendi sunt vv. III, 528; IV, 10; V, 484; VII, 225; 265; VIII, 526; X, 262; 308; XI, 36; 290; in quibus *que* coniunctio producta est in arsi secundi pedis; in arsi autem quinti pedis producitur XIII, 257; 258: — Alastoraquē Chromiumque, — Noëmonaquē Prytaninque.

Iam de hiatu dicendum est; quem constat vitari elisa ultima syllaba vocabuli, quod vocali vel m consonante finitur, subsequente vocabulo quod a vocali incipit.

Tollitur autem hiatus correpta ultima syllaba longa; itaque hiatus non est in exemplo quod supra scripsi: *valē* inquit et *echo*. Neque hiatus esse illegitimum constat in fine versuum hexametrorum; quare raro fit, ut ultima versus syllaba elidatur, quibus versibus hypermetris grammatici nomen dederunt. Inveniuntur autem hypermetri in met. libr. tres: IV, 11; 780; VI, 506, omnes que coniunctione finiti. Neglectae igitur in ipso versu elisionis exempla inveniuntur undecim, e quibus unum in tertio pede hiatus habet:

O et de *Latia*, o et de gente *Sabina* — XIV, 832;
duo et in tertio et in quinto pede:

Fonte *Medusaeo* et *Hyantea* *Aganippe*. V, 312;

Cumque *Pheretiade* et *Hyanteo* *Iolao* — VIII, 309;

octo qui sunt reliqui in quinto pede hiatus habent: II, 244: — *Phegiaco* *Erymantho*; III, 184: — *purpureae* *Aurorae*; IV, 535: — *Ionio* *immenso*; V, 409: — *Pisacae* *Arethusa*; VIII, 314: — *Parrasio* *Ancaeo*; XI, 17: — *Bacchei* *ululatus*; XI, 93: — *Cecropio* *Eumolpo*. Vix autem est quod moneam, nullum esse hiatus, si interiectionem sequitur vocabulum a vocali incipiens, ut: *io* *Arethusa*. (V, 625.)

Iam restat synizesis, quam non agnoscendam esse censeo in talibus vocabulis, qualia sunt: *deerat*, *dehinc*, *deinde*, aliis, quippe quae semper bisyllaba pronuntiantur. Exstant igitur haec in met. libr. synizeseos exempla: I, 423: — *flumina reddidit alveo*; VI, 113: — *Asopida luserit igneus*, (quamquam nonnulli legunt: *luserit ignis*); VI, 634: — *pietas in coniuge Tereo*; VII, 151: — *custos erat arietis aurei*; XII, 395: — *color aureus; aurea* —; XV, 624: — *circumflua Thybridis alveo*; XV, 718: — *spissi littoris Antium*.

